

**Differen-** *potentiâ, sed specialiter pro actu secundo voluntatis,*  
**tia ejus** *dum nempe hoc vel illud vel istud in specie volunt. Differt*  
*à Spontaneo, quod hoc etiam brutis competat; ab Ele-*  
*ctione, quod hæc spectet media, Voluntas verò finem; i-*  
*tem, quæ subito facimus, illa volumus, nec tamen eligi-*  
*mus; à Consultatione, quia illa est actus Intellectus.*

**Varii mo-** §. 23. *Dicitur autem aliquis velle quid non tantum,*  
**di volendi** *quum ipse quid facit, sed etiam, quum approbat, quod a-*  
*lius facit. Potest autem hoc fieri multipliciter: primò e-*  
*nim approbat, qui jubet, deinde, qui consentit, tertio, qui*  
*facientem collaudat, quartò, qui commodi particeps*  
*fit, quintò, qui, cum possit ac debeat, non impedit, & sex-*  
*tò denig, qui autorem rei receptat. Notari possunt versus*  
*hæc de re à Scholasticis excogitati,*

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,*  
*participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

**Affectus** *Porro, doctrina de Affectibus breviter sic habet. §. 1. Affe-*  
**quid** *ctus est motus appetitus sensitivi ex apprehensione*  
*boni vel mali cum aliquâ mutatione non - naturali*

**Qvotu-** *corporis. §. 2. Affectus illi pertinent vel ad appetitum*  
**plices** *Concupiscibilem vel ad Irascibilem. Qui pertinent ad*  
*appetitum Concupiscibilem, sunt Amor, Odium, Con-*  
*cupiscentia, Gaudium, Dolor & Tristitia: qui pertinent*  
*ad appetitum Irascibilem, sunt Spes, Audacia, Timor si-*

**Amor** *ve Metus & Ira. §. 3. Amor est motio Appetitus, quâ rem*  
*aliquam prosequimur, quatenus utilis est & delectabilis.*

**Qvotu-** *Ubi nota, non intelligi amorem amicitia, (sic enim di-*  
**plex** *stin-*